



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

13. Beatus Ignatius Discipulus Iohannis Euangelistæ, Episcopus  
Antiochenus, cùm captivus duceretur Romam, abijciendus bestiis, in  
campo Martio, beluas ita allocutus est.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

12. DIVVS PETRVS AD VXO-  
rem suã, cùm ea duceretur propter Chri-  
stum ad supplicium, compellans no-  
mine proprio, dixit: Memen-  
to Domini. Euse, lib.

3. cap. 30.

*Ducitur ad tristem Petri cùm fœmina mortem,  
Dogmata quòd Christi sancta professa fuit:  
Fertur eam tali solatus Apostolus ore,  
In solo maneat spes tua fixa Deo.*

*Sis memor, ô coniunx, Domini, dilecta, supremi,  
Is tibi per mortem cœlica regna dabit.  
Ille aderit præsens postrema mortis in hora,  
Hoc tibi qui donat corq; fidemq; Deus.*

13. BEATVS IGNATIVS DISCI-  
pulus Ioannis Euangelistæ, Episcopus  
Antiochenus, cùm captiuus duce-  
retur Romam, abijciendus be-  
stijs, in campo Martio, be-  
luas ita allocutus est.

**O** Salutare bestias, quæ præparantur  
mihi, quando venient? quando eis frui  
licebit carnibus meis, quas & ego opto  
acriores parari, & inuitabo ad deuorationem  
mei, & deprecabor, ne fortè ( vt in nonnullis  
fecerunt) timeant contingere corpus meum.  
Nunc incipio esse discipulus Christi, frumen-  
tum

tum

tum Dei sum, bestiarum dentibus commi-  
nuar & subigar, vt panis mundus efficiar  
Christi. Euseb. lib. 3. cap. 36. & Irenæus lib. 3.

*Quis metus est vester, Pardi seuig<sup>3</sup> leones?*

*Quæ mora? quis tantus vos tenet vsq<sup>3</sup> timor?*

*Quin nostras rabido carnes inuaditis ore?*

*Et dentes vestri viscera nostra vorant?*

*Comminuar cupidus vestris hoc dentibus orbē,*

*Fru mentum Domini nunc subigarq<sup>3</sup> Dei.*

*Panis vt efficiar tibi sic mundatus & albus,*

*Consersus roseo sanguine Christe tuo.*

*Hæc dicit sanctus diuino Ignatius ore,*

*Cum seuis Pardi obijciendus erat.*

14. DE MARTYRIBVS. POLY-  
carpus discipulus Ioannis Euange-  
listæ. Euse. lib. 3. cap. 36.

**P**assionum Domini participes extite-  
runt (martyres) nec dilexerunt præsens  
seculum, sed eum solùm, qui pro ipsis  
& pro nobis mortuus est, & resurrexit.

*Dulcia presentis spreuerunt gaudia seclī,*

*Duraq<sup>3</sup> cum Christo flagra tulere suo.*

*Hunc Dominum ardenti complexi pectore solum,*

*Pro nobis quondam qui flagra dura tulit.*

*Morte tulit nostram mortem, viuusq<sup>3</sup> resurgens,*

*Hic Dominus nobis gaudia leta tulit.*

C